

ex variis naturalibus scientiis facta legesque edocti, causas atque intimas rationes penetrare conemur.

5° *Comparatio* igitur hujus scientiae cum aliis illis scientiis naturalibus ea est, ut post ultimas earum legitimas conclusiones, ipsa ulterius ad intimiores causas, metaphysicasque considerationes assurgens, causas ultimas inspicens, conclusiones de ipso esse illorum corporum stabilit. Neque enim ad eas considerationes sese aliae scientiae extendunt, corpora viventia nimirum respicientes :

circa organa		
{	quoad dispositionem et usum — — — — —	physiologia.
{	quoad intimam texturam ex minimis elementis — — — — —	anatomia.
circa minima elementa ipsa		
{	quoad structuram — — — — —	histologia.
{	quoad mutationes intimas substantiales — — — — —	chemia organica.
circa figuram externam et phaenomena vitalia		
{	in mere vegetativis — — — — —	botanica.
{	in sensitivis — — — — —	zoologia.

6° *Methodus* vero hujus nostrae organologiae eadem esse debet atque in cosmologia fuit, ut nempe ex factis certis ad causas, ex phaenomenis ad proprietates ac principia, inde ad ipsam rerum essentiam et ordinem concludamus : analytice et a posteriori. In memoriam igitur hic omnino revocanda ea sunt quae in ontologia de actibus et de potentiis activis dicta sunt.

7° *Divisio* hujus libri praesentis ea erit ut prius vitae notiones generales, dein utriusque vitae organicae analysis proponatur :

Caput I. De vita in genere.

Caput. II. De vita vegetativa.

Caput III. De vita sensitiva.

CAPUT I.

DE VITA IN GENERE.

Toto hoc primo capite nihil fere stricte probatur, neque enim id fieri sine petitione principii posset, quum multa praesupponantur, quae per decursum libri paulatim evolvenda et exponenda, imo et probanda sunt. Igitur per modum introductionis ad sequentia potius generaliores notiones proponuntur et in conspectu jam exhibentur, quae quanta veritate nitantur, postea pedetentim apparebit.

Propositio 1.

Vita reponenda est in facultate qua ens seipsum movet, continuo se perficit, immanenter agit.

Stat. quaest. 1) Quaeritur quomodo ex potentiis activis dignosci possint

viventia a non viventibus ; — intendimus autem viventia creata, nam in Deo omnia sunt analogico sensu dicenda.

2) Ex actibus quibus viventia distinguuntur a non viventibus cognoscimus eorum facultatem qua vivunt. Actus illi vocantur vita in actu secundo ; ipsa facultas : vita in actu primo. — Vitam definimus non prout in actu secundo, sed in actu primo ; entia enim vivunt quamdiu habent facultatem etiamsi non actuatam. Vita in actu primo est vita substantialis ; in actu secundo est vita accidentalis, minus proprie dicta.

Notiones. 1) *Se movere* : non de motu locali solum, sed de omni vera actione ad quam ens in seipso principium habet, et cujus terminus intrinsecus effectus in ipso agente manet.

Se perficere : ut perfectio ad quam actio per se et proxime tendit, sit vel causetur in subjecto agente. At dicitur perfectio non absolute, sed saltem sub aliquo respectu.

Immanenter agere : agit qui aliquid producit ; *immanenter* si effectus productus manet in ipso agente, non transit in aliud (proxime) ; ergo requiritur processus a subjecto (ex interno principio), et reductus, i. e. agens sit etiam terminus actionis patiens.

Hae tres determinationes igitur fere recidunt in idem, sed pro specie entis, aliud alio facilius innotescit.

2) Jam ex ontologia notum supponimus quomodo distinguenda sint agens, actio, terminus, objectum ; et quomodo saepe objectum et terminus sint idem.

3) Non intendimus definitionem vitae strictam dare, non enim per genus et differentiam datur, sed per descriptionem ex effectibus.

Prob. 1° (via descensus). Vitae notio invenitur si in manifeste viventibus sumuntur notae quae dum adsunt, vivens constituunt, dum absunt, mortuum constituunt ; *a.* tales notae sunt : posse se movere, se perficere, immanenter agere ; *e.*

Ad min. Manifeste vivunt animalia ; *a.* tamdiu vivit animal, quamdiu habet facultatem se movendi, se perficiendi, immanenter agendi, et tamdiu illam habet quamdiu vivit ; *e.*

Prob. 2° (via ascensus). Notio generalis vitae invenitur si sumitur elementum commune singularum specierum vitae ; *a.* diversae operationes vitales singularum specierum elementum commune habent : triplicem hanc facultatem ; *e.*

Prob. min. 1 part. (vitae vegetativae). 1) Nutritio et augmentatio : *a)* sunt *motus sui ipsius* : planta arripit elementa, convertit in suam substantiam, et hanc auget ; *e.* agit circa suam substantiam, seu movet se (latiori sensu).

b) sunt *perfectio sui* : planta perficit suam substantiam, sustentat se, pulchriorem se facit ; etc.

c) sunt *actio immanens* : hae actiones qua tales sunt in ipsa planta, neque exeunt ex ea in aliud.

2) Etiam generatio (praeparatio seminis) : a) est *motus* : est transitus de potentia in actum, cuius terminus est in subjecto.

b) est *perfectio* : agit circa suam substantiam, ex qua praeparat.

c) est *actus immanens* : habet terminum ipsum subjectum, vel aliquid de subjecto.

Prob. min. 2 part. (vitae sensitivae). Sentire et appetere : a) sunt *motus sui ipsius* : agens transit de potentia in actum cuius terminus est intra agentem.

b) sunt *perfectio* : melius est cognoscere, appetere quam ignorare, indifferens esse ad bonum suum.

c) sunt *actio immanens* : habent ut terminum aliquam qualitatem quae efficitur in subjecto.

Prob. min. 3 part. (vitae intellectivae). Intelligere, velle : a) sunt *motus* : transitus de potentia in actum, ad quem ipsum se determinat subjectum.

b) Sunt *perfectio* : actus est perfectior quam potentia.

c) Sunt *actio immanens* : terminus qui efficitur est qualitas in subjecto, nec transit in aliud subjectum.

Objic. 1° Secundum hanc definitionem, etiam ignis viveret, nam transmutat lignum in suam substantiam, et sic augetur et se perficit. — R. *d.* actione alicujus substantiae ignescentis inducitur eadem dispositio in aliam substantiam (conjunctio cum oxigeno aeris), et ita moles substantiarum incandescentium per externam appositionem augetur, *c*; una convertit aliam in suam substantiam, *n*.

Objic. 2° Magnes viveret, nam a) agit ex interno principio, et b) agendo auget suam vim, ergo c) se perficit, immanenter agit. — R. *Ad a*) : *d.* i. e. vi aliqua sibi propria et intrinseca, *c*; vi aliqua propria sibi tanquam alicui organismo; *n*. — *Ad b*) : *d.* angetur vis ab externo objecto, quamdiu ambo conjuncta sunt, *c*; ita ut sua actione magnes in augmentum tendat, *n*.

Objic. 3° Terra agit immanenter, nam omnes partes ad centrum attrahuntur. — R. *d.* Una molecula agit in alias, tanquam in partes omnino diversas, *c*; tanquam in suam substantiam, *n*. (sunt tot actiones particulares quot moleculae quarum terminus omnino extrinsecus; resultantia autem transit per centrum terrae).

Objic. 4° Crystalla a) agunt immanenter, b) crescunt, c) se perficiunt. — R. *Ad a*) : cfr. object. 3^m. — *ad b*) : per solam appositionem materiae, *c*; secus, *n*. — *ad c*) : proprie perficiuntur, *n*; improprie, *tr*. (minima pars jam est crystallum perfectum).

Objic. 5° Omnia vivunt et quidem : 1) Pantheistae docent dari ens absolutum cum vita absoluta etc... De his alibi (cfr. cosmol.).

2) Günther docet a Deo naturam unam esse creatam, substantiam aliquam primam, nucleum quemdam qui continuo se moveat, tendat ad variam vitam quae ex illo prodeat ut ex radice rami, folia, etc. — R. Gratis assertum gratis *n*. (contradicit sensui naturae communi).

3) Mundus productus ad similitudinem Dei, ergo et vivens. — R. a) *retor-*

queo : ... ergo et infinitus, et simplex, etc! — b) *d. ant.* ad similitudinem perfectam, *n*; imperfectam, *c*; — *n. cons.* vel *d. cons.* ergo debet in suo *esse* habere aliquam similitudinem, *c*; omnimodam, *n*.

4) Corpora agunt, ergo vivunt. — R. *d. ant.* actu vitali, *n*; transeunte, *c*. (N. B. quis crederet talia serio proferri a viris aliunde non indoctis!)

5) Elementa efficiunt nova corpora, ergo se perficiunt, ergo aliquomodo vivunt. — R. *c. ant.* — *n. cons.* (motus attractionis, adhaesionis, affinitatis, etc, non est motus sui ipsius immanens).

Coroll. 1^m Ergo rejiciendae sunt aliae definitiones vitae, v. g.

1) *Stahl*. «Nihil est aliud formaliter vita quam conservatio corporis in sua mixtione corruptibili, sine ullo corruptionis istiusmodi actuali eventu.» — R. Non convenit soli : v. c. cadaveribus per aromata vel per miraculum incorruptis; nec omni : v. c. Deo, spiritibus.

2) *Bichat*. «Vita est complexus functionum quae morti resistunt.» — R. Non est clarior re definita, nam mors est defectus vitae; non omni convenit sed tantum mortalibus et corruptibilibus.

3) *Richerand*. «Complexus phaenomenorum quae sibi succedunt in corporibus organicis intra limitatum temporis spatium.» — R. Non convenit omni : v. c. vitae intellectivae.

4) *Zigliara, etc.* «Vita est in activitate immanente, i. e. ut agendi principium sit in ipso agente intrinsecum.» — R. Sic omnia viverent, nam agunt efficienter (cfr. cosmol.), quod soli occasionalistae negant.

Coroll. 2^m Ergo quanto magis et perfectius alicui convenit operari ex seipso, non quasi ab aliis motum, et in seipsum, independentem ab objecto externo, tanto major et perfectior in eo vita invenitur; nam quo perfectius aliqua res participat essentiae rationem, eo perfectius hanc essentiam participat.

Propositio 2.

Sex sunt genera potentiarum vitalium : vegetativa, sensitiva, appetiva sensibilis, intellectiva, volitiva, locomotiva.

Stat. quaest. 1) Ex ante dictis in ontologia, dividi possunt subjectivae potentiae :

}	passivae	— — — — —	in omni re.
	activae		
}	transeunter	— — — — —	in inertibus.
	immanenter, i. e. vitaliter	— — — — —	in viventibus.

2) Jam ulterius quaerimus subdivisiones potentiae immanenter activae, seu vitalis, i. e. quatenam sint species potentiarum sub genere potentiae vitalis.

Prob. Potentias quae in rebus sint, non cognoscimus a priori, sed solum a posteriori ex earum effectibus, easque distinguimus per earum actus; a. effectus et operationes vitales sunt sex formaliter diversae ex objectis formalibus suis; e.

Ad min. 1) Omnis potentia vitalis operatur
 circa partes sui subjecti efficiendas — — — — = *vegetativa*.
 circa objectum particulare, concretum, corporale
 { cognoscendum — — — — — = *cognitio sensitiva*.
 { appetendum — — — — — = *appetitus sensitivus*.
 circa objectum universale, abstractum, spirituale,
 reflexum :
 { cognoscendum — — — — — = *intellectus*.
 { appetendum — — — — — = *voluntas*.
 circa ubicationem ut terminum motus sui — — = *locomotiva*.

2) Et istae sex potentiae sunt sufficienter distinctae ex illis actibus suis et objectorum formalium diversitate; *e*.

Objic. Voluntas et appetitus sensibilis tendunt in bonum ut finem; *e*. non formaliter differunt. — R. a) *d. ant.* in bonum ut finem eundem et eodem modo tendunt, *n*; ut in finem alium, et alio modo tendunt, *c*. (voluntas ut in finem cognitum qua talem, et libere tendit; — appetitus sensibilis in finem sed non ut cognitum qua talem, et spontaneae sed non libere tendit; cfr. infra) — R. b) *retorq.* etiam locomotio tendit in terminum ut in finem; et vegetatio tendit in augmentum ut in finem; *e*. haec omnia non differrent; — R. c) *retorq.* sicut voluntas et appetitus communem habent tendentiam ad bonum acquirendum, ita sensus et intellectus communem habent tendentiam seu intentionem ad verum ut cognoscendum; *e*. et haec non differrent.

Propositio 3.

Quatuor in mundo sunt modi vivendi : *vegetativus, sensitivus, locomotivus, intellectivus*.

Stat. quaest. 1) Notum e supra dictis est, sex apte distingui genera potentiarum vitalium; — jam quaeritur quibus modis inter se componentur, seu quotuplices ex illis de facto in mundo nostro inveniuntur complexus.

2) Possent quidem excogitari alii complexus potentiarum; a posteriori quaerimus quomodo existant.

3) Aliunde, ex revelatione, scimus dari etiam gradum intellectivum separatum ab aliis, in angelis; — sed e solo rationis lumine naturali de hoc nobis aspectabili mundo quaerimus, nec proinde de quinto illo vitae gradu nobis sermo est.

Prob. Teste experientia, viventibus

1) aliis non nisi facultas *vegetativa* est,

2) aliis et *vegetatio*, et *sensitiva cognitio*, et *sensitivus appetitus*,

3) aliis *vegetatio*, et *sensitiva cognitio*, et *sensitivus appetitus*, et *locomotivitas*,

4) aliis omnes simul sex facultates,

5) non aliter dividuntur viventibus ullis potentiae vitales, nisi quando per accidens (ex morbo, abortu, vel alio accidente) impedimentum tale obstat ut non integra sed manca natura aliqua habeatur; *e*.

Objic. Etiam in modo vegetativo (in plantis) sunt locomotiones internae, saltem microscopicae, v. c. plasmatis, succorum, laticis, vel diatomorum (navicellae, etc.); *e*. — R. *d. ant.* motus mechanici, vegetationis media, ac proinde ad eam pertinentes, *c*; alii vere immanentes, *n*. (si qui tales ostenderentur, concluderemus non plantam sed animal adesse! — qui autem motus in vegetali observantur, vel sunt contractiones et expansiones rythmicae, non verae locomotiones, vel sunt locomotiones ciborum antequam vere assimilati sint, vel excrementorum jam mox expellendorum).

Propositio 4.

Tres in mundo sunt vitae gradus : *vegetativus, sensitivus, intellectivus*.

Stat. quaest. 1) Quaeritur ex qualibus principiis emanent ac oriantur, seu in quibus naturis fundentur facultates vitales de quibus hucusque.

2) Ad hanc quaestionem responsio quaerenda est ex effectibus, i. e. ex actibus vitalibus et proprietatibus, ope ratiocinii, dicimusque omnes vitales facultates radicari in tribus speciebus principiorum, seu in tribus specificis diversis principiis.

3) Abstrahimus nunc a duabus aliis quaestionibus : a) utrum illa principia sint inter se univoce an analogice viventia; b) utrum unum principium vitale possit virtualiter esse duo vel tria haec principia; seu : utrum unum numero principium possit esse radix plurium vitae graduum.

Prob. 1° (Cfr. S. Thom. 1. p. q. 18. a. 3). Prout diversus est motus immanens, ita est diversa vita; *a*. tres sunt modi specificis diversi hujus motus; *e*.

Prob. min. Principia a quibus motus determinatur sunt : 1) finis qui allicit et dirigit agentem, 2) forma per quam agens agit, 3) ipsa executio seu actio; quo plura autem horum ens *ex seipso* habet, eo perfectius se movet; — *a*. unum est agentium genus quod nec formam nec finem ex se habet sed executionem tantum (plantae); alterum quod non finem, sed formam et executionem (bruta); tertium quod et executionem et formam et finem habet ex se (intelligens); *e*.

Explic. argum. 1) *Plantae* non praefigunt sibi finem; sed is constitutus est ipsis a Deo; habent formam per quam agunt a natura inditam, nec acquirunt alias formas (sensationes etc.) secundum quas agant.

2) *Bruta* se movent quoad ipsas formas quae sunt principium motus, se movent acquirendo formam quam nondum habebant (agendo per sensus).

3) *Intelligens* praeterea fines speciales sibi ipsi proponit.

Prob. 2° (Cfr. S. Thom. 1. p. q. 78. a. 1) Vita est elevatio supra materiam brutam, ac proinde tot sunt vitae diversae, quot gradibus heterogeneis vivens elevatur supra materiam brutam; *a*. tres sunt hujusmodi gradus; *e*.

Ad maj. Evidens est, viventia ut viventia esse perfectiora quam materiam brutam, ergo quo magis ab ea in sua vita recedunt, eo perfectiora sunt. Gradus autem possunt esse homogenei (diversi in eadem specie, differentes per

majorem minoremve intensitatem, velocitatem in agendo); vel heterogenei (non in eadem specie, eo differentes, quod objectum actionis, et proinde species actionis, magis differt a specie actionis quae est in materia bruta, i. e. in corpore non vivo). Tales igitur gradus constituunt vitam diversam saltem sicut species differt a specie.

Prob. min. 1) *Planta* assumit alias substantias materiales, easque in suam substantiam convertit, ita tamen ut eadem massa maneat; ergo quatenus est adhuc materialis, nondum quatenus jam aliquo modo abstraheret a natura materiali.

2) *Bruta* insuper assumunt imagines materiae brutae, quae imagines non tam materiales sunt quam ipsa materia bruta: habent enim majorem similitudinem cum rebus spiritualibus.

3) *Intelligens* etiam res spirituales percipit et in se assumit, scilicet per earum imagines (analogicas quidem); et res materiales percipit, quas in se assumit secundum modum rerum spiritualium.

Prob. 3° Tot sunt vitae, quot gradus heterogenei imminutionis dependentiae a materia bruta; *a.* tales sunt tres gradus; *e.*

Prob. min. 1) *In planta* est independentia eo quod materiae legibus non subjacet, sed iisdem dominatur, nam elementa quae planta assumit impediuntur a vita quominus sequantur omnimode solas leges physicas et chemicas... dependet tamen a materia quatenus ipsam assumit et utitur ipsius qualitatibus.

2) *Sensitivum* non indiget ipsa materia bruta ad sensitivas functiones exercendas; sed indiget tantum imaginibus materialibus et impressionibus materiae brutae; nec indiget ejus qualitatibus nisi ad organa bene disponenda; indiget tamen organis materialibus et eatenus pendet a materia.

3) *Vita intellectiva* a) nec materiam, nec ejus imagines materiales in se assumit, sed imaginem immaterialem seu spiritualementem; b) nec organis materialibus eget; — nam α) materia non potest agere in spiritum nec in ejus facultates, et β) anima separata a corpore potest intelligere et velle; — *e.* anima intellectualis non pendet a materia, nisi indirecte quia in suis operationibus saltem occasionaliter ab imaginibus sensualibus incipit.

Objic. 1° Quaelibet species brutorum et plantarum propriam habet differentiam specificam vitalem; *a.* talis differentia facit novum gradum vitae; *e.* — *R. d. maj.* differentiam quae sit major vel minor elevatio supra materiam inertem, *n*; quae sit elevationis modalitas aliqua quoad exercitium facultatum, *c*; — *c. d. min.*

Objic. 2° Membra bonae divisionis debent se mutuo excludere; *a.* hi tres gradus non se mutuo excludunt (sed potius vita sensitiva vegetativam, intellectiva sensitivam et vegetativam includit); *e.* — *R. d. maj.* formaliter, *c*; materialiter, *n.* — *c. d. min.*

Propositio 5.

Corpora viventia differunt quoad essentiam a non viventibus.

Stat. quaest. 1) Nondum asserimus ratiocinio novum aliquod principium determinatum, sed tantum discrimen essenziale inter viventia et non viventia, tanquam merum factum experientiae examinamus ac statuimus, undecumque veniat, ex principio scilicet intrinseco speciali sive aliunde. Reducitur ergo propositio ad ostendendum factum, quod vita sit differentia specifica quae dividat genus corporis in inferiora genera diversa viventis et non viventis, ita ut si hinc omnes viventium species, illinc omnes non viventium species, comparentur, talis inveniatur differentia ut dici debeant esse duo genera essentialiter diversa.

2) Est quidem propositio generalis de omni vivente, sed propter majorem difficultatem magis in argumentando attendimus ad vitam vegetativam cum materia inerte comparandam; valebuntque a fortiori argumenta quoad vitam sensitivam et humanam.

Prob. 1° Viventia se movent, se perficiunt, immanenter agunt, ita quidem ut non unico tantum aliquo momento hanc actionem exerceant, sed continuo se moveant; *a.* haec potentia constituit aliam perfectionem essentialem quae caret non viventia, ac proin constituit aliam essentiam; *e.*

Ad maj. Differentia inter viventium activitatem et non viventium est: 1) quod sibi aliquam determinationem tribuunt activitate propria: postquam in sua natura *complete* constituta sunt, possunt sua activitate statum suum internum ulterius determinare, perficere; non item in materia inerte: effectus activitatis transit ad aliud, et perfectio non tribuitur materiae propria activitate, sed resultat ex ejus natura;

2) viventia possunt agendo immanenter alia *in se* assumere; non viventia assumunt alia *ad se*;

3) in vivente est continua activitas, et activitatis variatio, quoad substantias quas assumit; in non vivente fit tota actio uno momento, et permanet hic primus status.

Prob. min. Perfectiones istae a) sunt *aliae perfectiones*: quae non viventibus desunt; b) et sunt *essentiales* (nam earum absentia vivens cessat vivere); *a.* aliae perfectiones essentielles constituunt aliam essentiam; *e.*

Prob. 2° Ex operationibus et proprietatibus determinamus essentias rerum; et quae res illis prorsus differunt, differunt quoad essentiam; *a.* viventia prorsus differunt proprietatibus suis a non viventibus; *e.*

Prob. min. Proprietates comparentur:

1) *Quoad viventium constitutionem* docemur:

a) in *physiologia*: singulis operationibus vitalibus, singulisque functionibus deputari propria singula organa (ad opulentiam agit natura, non ad paupertatem); eaque valde diversa et semper aptissima ad proprium munus;

b) in *anatomia*: organa illa diversasque viventium partes contextas esse ex variis aptisque texturis et compacturis: fibris, membranis, nucleis, etc.

e) in *histologia* : textus illos varios compacturasque componi tandem ex minutissimis cellulis variis quoad magnitudinem, figuram, etc, in quibus conficitur protoplasma, et omnis materia vivens;

d) in *chemia organica* : materiam ex qua constant illae cellulae, esse varias combinationes ex elementis ordinario iisdem : O, H, N, C; non binarias sed ordinario ternarias, quaternarias, et etiam magis contricatas; et proinde parum firmas; saepe isomeras et tamen valde differentes inter se;

e) in *botanica et zoologia* : α) viventia singula propriam suam habere figuram externam saepe valde complicatam; non ad figuras et lineas geometricae mathematicas revocabilem; — β) et singula viventia per certum aliquod tempus definitum existere, post quod ex intrinseca determinatione dissolvantur et pereant; — γ) et singula viventia ad certam usque magnitudinem pertinere posse, quam nunquam excedant;

2) Quoad viventium activitatem docemur :

a) in *physiologia* : α) oriri viventia non ex viribus physicis, et chemicis combinationibus solis, sed ex germine quod fuerit prius ab alio ejusdem speciei elaboratum; — β) evolvi viventia non per meram aggregationem materiae, sed per veram nutritionem et transitum successivum per varios status : seminis, ovuli, embryonis; et fieri organisationem successivam;

b) in *botanica et zoologia* : α) nutriri et crescere viventia non per meram materiae externam additionem, sed per intussusceptionem et transmutationem cibi, per immanentem actionem; — β) assidue reficere jacturam virium suarum, elementa noxia removendo ex organismo, utilia assumendo;

c) in *cosmologia* : finalitatem inhaerentem et naturalem existere in viventibus, qua α) aliae actiones ad alias ut media ad finem subordinentur, v. c : nutritio initialis embryonalis ad augmentum, augmentum ad evolutionem, evolutio ad organisationem, organisatio ad nutritionem, conservationem, generationem, generatio ad propagationem speciei; — β) tota simul activitas efficiens viventis, per modum unius sumpta, pro fine habeat, non perfectionem aliarum rerum externarum, sed ipsius viventis individui, ejusque speciei;

Atqui in non viventibus omnes istae proprietates essentiales desunt, et pro iis adsunt proprietates oppositae; e.

CAPUT II.

DE VITA VEGETATIVA.

Primum vitae gradum, minus perfectum, magis communem in nostro mundo, nunc inspicere intendimus. Hunc ideo minus perfectum dicimus quod a qualitatibus materiae inertis, et ab ipsius hujus materiae praesentia substantiali, ac concursu, magis dependet; quam dependentiam jam superius innuimus, mox clarius explicabimus. Magis communem vero eam propterea

dicimus vitam, quia quum vita intellectualis in solo homine, sensitiva autem tum in homine tum in brutis animalibus inveniatur, haec vegetalis non in homine solo, et in animantibus, sed etiam in plantis observatur. Quapropter hoc praesenti capite quae dicuntur, quoties non expresse contrarii moneberis, de omnibus vegetantibus, plantis nimirum, bestiis et homine, intelliges dicta esse. Jam ordinem dicendi si quaeras, is erit ut primo de effectibus deinde de eorum causis sit inquisitio :

Quaestio 1. De operationibus et facultatibus vegetativis.

Quaestio 2. De principio vitali vegetativo.

QUAESTIO 1.

De operationibus et facultatibus vegetativis.

Propositio 6.

Crystallis nulla inest vita vegetativa.

Prob. 1° Characteres quibus viventia vegetativa a non viventibus distinguuntur sunt praecipue : 1) origo ab individuo ejusdem speciei, 2) evolutio ab intrinseco usque ad certam magnitudinem, 3) constitutio organica, 4) definita duratio; a. haec desunt crystallis; e.

Prob. 2° Ibi nulla est vita vegetativa, ubi nulla actio immanens; a. in crystallis nulla est; e.

Ad min. Crystallis nulla est nutritio, sed accretio extrinseca; a. ubi nulla nutritio, ibi nulla evolutio, augmentatio, reparatio, generatio..., nec generatum ullus actus vegetativus immanens esse potest; e.

Prob. 3° In vegetativis est motus continuus, et aptitudo organorum ad talem motum; a. in crystallis non est motus continuus, sed stabilis structura, nec aptitudo ad talem motum, sed partes omnes rigidae; e.

Propositio 7.

Operationes vitae vegetativae primariae tres jure recensentur : auctio, nutritio, generatio.

Stat. quaest. In his respicimus vitam vegetativam in omnibus quidem viventibus, sed in enumerandis agendi modis, magis ad plantas attendimus : 1) ad majorem claritatem, 2) propter majorem difficultatem et adversariorum numerum, 3) quia eadem reliquis facilius applicabuntur.

Prob. Vita vegetativa habet ut finem ipsum corpus vivens; — a. pro hoc fine assequendo triplex operatio primaria est distincta necessaria, scilicet : a) qua corpus vivens esse acquirat : *generatio*; — b) qua quantitatem debitam et perfectionem evolutionis : *auctio*; — c) qua in esse et quantitate perfecta debita conservetur : *nutritio*; e.

Ad maj. Ex ipso conceptu vitae vegetativae qualem et vulgo homines concipiunt, et supra exposuimus.